PANEGYRICVS
EXCELLENTISSIMO
IOANNI
EVERARDO NIDHARDO

REGINÆ A CONFESSIONIBVS,

A CONSILIIS STATVS SVPREMAE
INQVISITIONIS SVMMO QVÆSITORI,
ALTERI EX GVBERNATORIBVS
HISPANICÆ MONARCHIÆ.

SCRIPTVS
AB V. I. D. D. HIERONYMO
BASILICO,
SICVLO MESSANENSI IN
SVPREMIS CASTELLÆ TRIBVNALIBVS,
REGNIQVE SICILIÆ
REGIO ADVOCATO.

EXCELLENTISSIMO DOMINO Francisco Eusebio Comiti de Petting, Cæsareæ Maiestatis Cubiculario, Equiti Aurei Velleris, à Consilijs Status, & ad Catholicum Regem Legato.

S. D.

PAnegiricam hanc laudationem, quæ Excellentissimi Ioannis Euerardi Nidhardi virtutes complectitur, lubens tuo nomini inscribo, Heros inclyte. Cum enim in ea Germaniæ, totiusque gentis gloria versetur, eam tuo iure tibi vendicas, qui in hac Regia Hispaniarum aula, Cæsareæ Maiestatis Legatus, & muneris dignitatem, & clarissimum Gentis nomen, ac decus ægregijs tuis dotibus exornas, amplificas, illustras. Si verò tuas hæroicas virtutes hoc loci vellem recensere esset illis iniuriam facere, quæ Demosthenes, Pericles, Tullios, & aurea eloquentiæ flumina reposcerent. Pauciora enim, & minora esse debuissent, vt in iis laudandis meæ imbecillitatis conatus, vires suas experiri potuisset. Nunc verò cum earum affluens amplitudo omnem laudē absumat satius est splendidam præconiorum materiam tacendo reuereri, ac silentio venerari; quod supra omnem laudem assurgit. Huius præterea scriptionis non tantum te Patronum elegi, quam defensorem, & clypeum culpæ, ac temeritatis meæ, cum voluissem infirmis viribus homo, & pæne Pygmæus onus subire validissimis Gigantum humeris vix ferendum. Tua igitur humanitas apud Excellentissimum Heroem audaciæ veniam impetret; & obscurā orationem tui nominis splendore illustres, atque irradies. Matriti decimo quinto Novembris, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo octauo.

Excellentiæ tuæ deditissimus.

D. Hieronymus Basilico.

EA est diuinæ sapientiæ Politia, ab altissima proui-dētiæ specula Cœlum, Maria, Terrasque moderantis, vt statis quibusdam temporum periodis summos Viros ad generis humani delicias, salutemque suo veluti, è sinu ad terras demittat: quorum ægregijs dotibus, & Regum, & Regnorum fęlicitatem prouehat, & Rerumpublicarum iam iam labentium ruinas, casusque velut Atlantum humeris reparet, ac sustentet; Proinde eos non ex vulgari conditione, sed alia quadam augustiore à Deo cōcretos, eorumque mentem ex auro effictam docebat Philosophorum Princeps Plato: quos quidem tantis plausibus Populorum excepit admiratio, vt è Cœlo lapsos crederet, & diuinitatis honoribus cumularit. Hinc statuę, & Imagines in Foris positæ; Aræ erectæ; Templa extructa; vota concepta; & firma fides Cœlo redditos post mortem, vnde descenderant. Sicut enim non aliter ratio sibi constat, quam si vni reddatur; ita nec vnum Principem omnia administrare posse, nec sua scientia cuncta complecti, nec vnius mentem esse tantæ molis capacem, ex Politicorum Oraculo exploratissimum est. Quemadmodum enim igneus, ac cælestis animus æquali indiget habitu, ac forma corporis ad vigorem, & ornatum, ita & in corporis Politici efformatione, ac conseruatione nullum maius esse suæ felicitatis argumentum, quàm bonos amicos, quibus Vicaria potestas, ac pars publicarum curarum comittatur, nemo est qui nesciat. Proinde Carolus Quintus, Magnus ille Imperiorum artifex, & Principum flos in renuntiatione Imperij ad vtrumque solem recurrentis Philippo filio Bruxellis facta, inter lachrymas, extremasque: beneuolentiæ significationes Erasum, sapientissimum à secretis Ministrum, quasi ipso Imperio pretiosiorem reliquisse, ac cōmendasse legitur; Nouerat enim ille fortissimus Heros plura consilio, quàm vi perfici; plura geri ingenijs, quàm dextris; plus ad Imperij fælicitatem cōferre otium sapientis ad vmbram, quàm fremitum bellatorum ad solem, & puluerem decertantium: quippe didicerat ex Romanæ Historiæ Principe, omnia Regna terrarum, omnes Ciuitates, omnia Imperia eò vsque prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera Consilia valuerunt. Vnde nos omnes, Excellentissime Ioannes, vbi te ad Hispanicæ Monarchiæ clauum vidimus admotum, & ad tantarum dignitatum fastigium euectum, incredibili affecti sumus lætitia, cum Dei Optimi Maximi sapientissimam Prouidentiam erga Hispanias admiraremur, & Caroli Regis fælicitati gratularemur, qui in te

habe-et,vt nō inuideret nec Achilli Chyronē,nec Alexādro Aristotelem,nec Alcybiadi Socratē;talem denique Ministrum, cuius opera sese erigere ad spem melioris fortunæ possit, Hispanicæ Dominationis inuidis hostium,& æmulorum telis impetita Maiestas. Enim verò tam egregiæ sunt tuæ dotes,vt si ad ea electus non fuisses, omniū suffragijs eligi debuisses,& tota Hispania vna voce te ad sui tutelam advocasset,nisi id sapientissimæ Reginæ Consiliū præstitisset;nihil enim est certè,quod vel à natura, vel à virtute, vel ab experientia expectādum sit, quod cumulatissimè consecutus esse videaris. Quibus quidem tuis virtutibus, cum nulla par merces,quam laudis reddi possit, cum præmium virtutis sit gloria,ego homo siculus, inter Scillæ, Carybdisque latrantium fremitus,& murmura educatus, nulla ornatus eloquētia,&ob forenses Iurisprudentiæ exercitationes ab his studijs alienus, audaci consilio eas publicè laudare institui, vt sciret orbis, nullam esse tam surdam,remotamque gentem, quæ ad illustrium meritorum iubar in admirationem non excitetur; & Hispaniam Orbis Dominatricem non Fortunę,non Gratiæ, non Principum precibus, sed ægregijs dotibus,sed inclytis virtutibus,sed prope diuinæ sapientiæ Excellentissimi Ioannis Euerardi Nidhardi summam rerum tradidisse, & insignibus virum honoribus cumulasse, qui suis meritis quacumque honorum significatione dignior, & præstantior esset. Et quoniam in hoc dicēdi genere modus quidem à me quærendus est, non laudum materia,cuius nimia est amplitudo, quatuor ex immenso præclarissimarum virtutum cumulo compendiosa oratione perstingam,Pietatem scilicèt in Deum,Ciuilis doctrinę scietiam,Nobilitatem,Felicitatem:quæ quàm summo Principis Ministro necessariæ sunt,tam in eo solidę, eximiæ, eminentes,miraculo proximę conspiciuntur. Quis verò dubitet, inter omnes Principem sibi locum obtinere Pietatem, quæ firma Regnorum Basis,& Anchora ciuilis felicitatis reputatur. Ipsa enim optimè de Deo sentiens, Deum colit,amat,timet, reueretur; ipsi preces concipit,laudes refert,grates agit, discussaque ementitarum mundi Imaginum tetra,obscuraque caligine ad immortales diuinæ lucis radios æternos, nunquam mutabiles, nunquam noctescentes,nunquam interituros,oculos,obtutumque defigit,ibique diuinæ Fiduciæ plena omnes spes suas collocat,& firmat: non in hominum patrocinio,quorum infida fides,& dubia vacillat, & tota concidit ruina; non in fortunæ muneribus, quæ dum nimis appetuntur,amittuntur;& dum auidè rapiuntur,plenas inter ma-

nus

nus aufugiunt,& dilabuntur;nō in corporis dotibus,quarum flos, & gloria,aut ingruentium morborum,aut senescentis ætatis iniurijs,damnisque deperit, ac deflorescit;sed in consecutione virtutum,sed in diuinæ voluntatis placitis, sed in Euangelicæ expressionæ Doctrinæ,acPerfectionis,quam sibi proponit vt finem summi boni,ad quam nititur veluti ad metam suæ gloriæ,quam intẽtis oculis respicit velut sydus suis nauigationibus amicum, & fidissimum. Et ecce mihi videor in hacPietatis collineatione Ioannem veris ad umbrasse coloribus;adeò enim ad eam natus, factus videtur,vt quod de Platone dictum,si ipsa in humanis ageret, sua lingua,suis moribus,suo habitu vteretur. Cuius sanè pietatis præclarissima argumenta dedit formosa illa suæ adolescentiæ Aurora,tantis veræ pietatis documentis,veluti floribus,coronata,quãtis nec redimitus vnquam floruit Himettus, nec nouo vere illustrium germinum fœcunda parens Hybla se se exornauit; Cernebatur enim in eo vel ipsis cœli lilijs candidior conscientia, infixus intimò pectori diuini numinis timor, expressus lingua, moribus comprobatus;sinceritas in verbis,simplicitas,& nitor in vestibus, modestia in vultu,qualem in tenera,& pudica Virgine laudasses, in probo,& Religioso viro suspexisses. Spirabat quocumque se verteret,odoratum Cœlestium virtutum ver,ex intimo sui animi viridario suauissimè diffusum,ac difflatum, ita vt alij Stanislao, alij Aloysio Gonzagæ,alijsque eximijs adolescentibus, quos in Sanctorum numerum relatos Templis donauerunt Summorum Pontificum decreta,compararent; Et cuius inquam, non dicam adolescentis,sed Sanctissimi viri modestior fuit Aspectus, multò semper pudore suffusus? Cuius sanctior familiaritas, & sermo ab in ani laude,&vulgi rumoribus adhorrens; Cuius flagrãtior erga Deiparam Virginem Religio; Erga Cœlites cultus; Erga parentes,Magistros,Magistratus de missio, & reuerentia; erga Corporis Christi cœleste epulum frequentia,quo pluries in hebdomadis se reficiebat;erga demum virtutes omnes amor, & propensio;quas tanta omnium admiratione exprimebat, vt qui eum viderent,virtutes omnes videre se affirmarent. Verùm hæc communia sint cum alijs ornamẽta,& quæ velGermanæ, vel candidæ indoli tribui possint;ad maiora, & præstantiora festinat oratio; quæ ægregia sunt;præclarissima sunt; prope diuina sunt. Quod enim per Deum immortalem maius inclytæ, & Christianæ pietatis argumentum excogitari potest, quam quod nobilissimus adolescens,vix decimum quartum annum egressus, teneræ ætatis,

sum-

summæ spei, præstantissimæ indolis, paternæ domus blandimentis illectus, secundæ fortunę donis inuitatus, & in summa amplitudine bonorum omnium constitutus, ardore tuendi diuini honoris, & Catholicæ Religionis ab Hæreticorum odijs, & calumnijs per summam iniuriam impetitæ, per medias acies, per tela, per vulnera, per mille mortis genera nobilissimam Martyrij palmam perquisierit, & quoad se fuerit consecutus? Nam ardebat eo tempore, in Germaniæ visceribus, & nūc etiam ardet ferale illud, luctuosumquè incendium Hæreseos Lutheranæ; Scelestissimi Authoris inverecundia, dementia, ac superbia, longè latèquè sonorum, populorum multitudine alimenta fidemquè præstantium formidolosum, despectu Dignitatis Romani Pontificis nefarium; inobedientia Principum authoritatis atrox; stragibus, & ruinis luctuosum, & perfidia contra omnia dogmata Catholicæ Religionis, post Christum natum impijssimum, truculentissimum; cuius quidem incendij teterrimus ignis nobilissimarum vrbium cadaueribus, populorum effuso largiter sanguine; Illustrium familiarum excidijs, publicæ quietis, & tranquillitatis euersione, bellorum ciuilium contagionibus, ac damnis, calamitatum demū omnium cumulis, non modo extingui non potuit, sed ne comprimi quidem, imò ex ipsis dolosis cineribus funestius exsurgens; qua tetra, fœdaquè caligine, qua terribili armorum sonitu, qua pœnarum, ac mortis terrore circumlato, qua Principum, atque erebi totius auxilijs elatus, profana sacris pari ruina conuoluens pœnè totum infœlicis Septemtrionis corpus, ne dicam, an cadauer? Crudelibus flammis depopulatus est. Deus bone.

Quis cladem illius flamæ, quis funera fando
Explicet, aut possit lachrymis æquare dolorem.
Iamque animus meminisse horret.

Adhoc itaquè longè latèque furens incendium, cum per Austriam liberius serperet, ac diuagaretur, à Pijssimo Imperatore Ioannis Pater concessa Vicaria Imperatoris potestate, cum instructissimo Exercitu destinatur. Quam occasionem non prætereundam ratus nobilissimus adolescens statuit funestum illud torrens gloriosus miles vel suo sanguine extinguere, vel suo cadauere retardare; Itaque commisso cum Hæreticorum obstinatissimis turmis prælio, inter insultantium, & cœdentium impetus, cadentium gemitus, Imperantiū voces, & iras, morientium extremos singultus,

tus, armorum fremitus, tormentorũ fragores, sanguinis flumina. Inuictissimus Adolescens inter primos adeò fortiter, & strenuè dimicabat, vt solus totam belli fortunam sustinere videretur; ex quò versa in desperationem hostium rabie tota aduersus eum armorum, & armatorum vis incubuit. Vnum omnes telorum ictus vouent, omnium appetunt impetus, omnium expetunt enses: circumagitur, premitur, vulneratur, donec tandem, cum classicum receptui cecinisset, suis omnibus hinc inde dilapsis, cum totius hostilis exercitus impetum, vnus frænare, ac reprimere non posset, in hostium potestatẽ venit; qui existimantes benè emptã multo eorum sanguine, & funere victoriam, in carcerem conijciunt collo tenus terra demersum; & ad publici doloris solatium, vel ad victoriæ triumphum ad mortem iam proximam destinant: cuius rei certior factus fortissimus Athleta tanta hilaritate perfusus est, quanta libertatem è carcere excepisset: imperterritus, alacer, fortis, vel hoc ipso vicisse videbatur, quòd publicum Christianæ Fidei documentum effuso liberalissimè sanguine in ipsis Hæreticorum oculis esset editurus. Sed iam quid agitis dementissima capita, Orbis pestes, erebi faces, ac monstra? Obruite, sepelite, carceribus emancipate, morti iam destinate nobilissimum Adolescentem, erratis toto Cœlo, arcanorum Diuinæ Sapientiæ & Iustitiæ ignari? Iustissimus enim scelerum vindex, ac sui honoris defensor Deus, non dormiens, neque dormitãs eripiet à vestris faucibus, rediget in libertatem, & ab interitu vindicatum in lucẽ gentium collocabit, & in Supremæ Hispanicæ Inquisitionis Augusto Solio vestra dogmata damnantem, vestris ceruicibus imminentem, deque vestra improbitate, audacia, dementia, peruicacia triumphantem spectandum vobis, & toto Orbi Christiano colendum dabit. Et ecce intra paucas horas irruptione à Catholicis facta, iam iam moriturus à carceribus liberatur, & Parenti, & suis sospes restituitur, qui etiam diuino auxilio à morte liberatus, Passaum se receperat. O admirandam Diuini Numinis Prouidentiã, quæ vbiquè præsens inter maiora suorum pericula, maiora profert sui amoris argumenta, eosquè à furentibus flammis innocuos vendicat, à leonum rabie, ac fame impastos custodit, ab Ærithręi maris fluctibus bipartito mari transuehit ad terras, & per media rerum discrimina, à naufragijs, ab excidijs, à telis, à Tyrannorum potentia, ab erebi conatibus, ab ipsius mortis faucibus, certissima spe iam deuoratos eripit, atque extorquet? O Christiani Athletæ facinus immortale: dignum, quod nulla vnquam obliteret obli-

uio,nec surda posteritas intermori patiatur ; quando eodem tempore immortalibus coronis se dignum præbet,& fortissimi Ducis, & inuictissimi Martyris,æquè triumphalis,& dum vincit,& dum vincitur,& dum mortem hostibus infert ,& dum mortem ab hostibus alacer,& imperterritus expectat. Ite nunc Romanæ, Græcæque historiæ,& Codros,Curtios,Catones ; & quotquot ob Patriæ amorem pulcherrimæ morti fortia pectora deuouerunt, silete iam,& obmutescite.Ego enim vobis Ioannem ostendam Martyrum strenuissimum commilitonem,Germaniæ decus, & gloriã, Catholicæ Ecclesiæ Isaachum,qui non Patris iussu,sed sua sponte, non in vertice montis, Sed in oculis hostium , non inter manus paternæ pietatis,sed inter Hęreticorum insultantium fremitus, & rabiem,omnium Sæculorum celebrationem consequentem : qui meliorem ob causam honestissimis medijs pręclarissimo fine vestrum omnium gloriam longe anteiuit,& superauit. Verùm restitutus ad suos reintegrato bello in Bauaria cum Hostibus conflixit,& nobilem victoriam reportauit. Sed neque ex hoc satis Desiderio suo,satis dignitati præstitisse se existimans,mutato Consilio positisque armis alio militiæ genere Christianæ Religionis hostes insectari decernit; Itaque in Societatis Iesu CastrisReligiosæ Militiæ Tyro nomen dat,hoc est,illius Sacri exercitus, qui inmortale,iuratumque bellum à primis sui Instituti incunabulis toti Hæresi indixit,indictumquè fæliciter gessit,gestumquè infinitis prope modum triumphis,collatis vbique Terrarum signis fœlicissimè cumulauit; Cuius Ductor Ignatius eodem anno natus in Hispanijs legitur,quoChristophorus columbus laxatis,perruptisque Oceani vinculis , ac claustris,nouas , diuisasque nationes patefecit;non sine Diuinæ Sapientiæ arcano,vt eo tempore, quo liguriæ Typhis nouos orbes detegeret ; in Hispanijs igneus Angelus per suos filios illis cœli iter aperiret: Cuius milites & socij eo tempore quo execrandum Cœlo, Terrisquè caput Lutheru ,perGermaniam contraCatholicam Fidem execrabile virus euomuit,ex quo infęlices pestes in tot Regiones diffusæ sunt ; qua scriptis,qua voce,qua sanguine,qua infinitis propemodum laboribus exhantlatis tot ex Lutheri, Caluinique , aliorumque erroribus trophæa reportarunt,vt nullus sit in terris locus , vbi vel rerum gestarũ gloria,vel fructus præclarissimarum victoriarum abundè non peruenerit? Qui plura bella perfecerunt,quàm alij inceperunt , plures triumphos reportarunt,quam alij votis conceperunt , plures populos ad Fidem Catholicam,quam reliqui omnes Fidei propagatores

tores ab incunabulis nascentis Ecclesiæ vsque ad eorum tempora redegerunt: Apostolico Spiritu, ac laude omnes Orbis Terræ partes, oras, plagas continuato victoriarum cursu peragrantes. In hæc itaque Religiosa Castra Inuictus miles adscriptus difficile dictu est, quo renouato ardore aduersus Hostes Christiani nominis insurrexerit, atque exarserit; Quoties inueteratas, ac penitus insitas opiniones ex animis Hæreticorum evulserit; quoties iam iam collapsuros auerterit, auocauerit, restituerit, & ad vera Ecclesiæ dogmata traduxerit, ante ipsos Hæreticorum oculos Lutheranos libros publicis flaminis demandando. Vos vos ego testor, Sacri, siilentesque recessus, in quibus prima tyrocinij, & Religiosæ Militiæ rudimenta deposuit? Vos scientiarum Collegia, in quibus ingenuas Artes, altioresque doctrinas & edidicit, & edocuit, litterarijs palmis, coronisque ingenti omnium plausu, & admiratione exornatus? Vos Domus Professæ, in quibus qua audiendis confessionibus, qua celebrandis sacris, qua è suggestu Populorum animos ab Hæresi ad Catholicam Fidem conuertendo, non solum ipse plenissimam pietatem exhibuit, sed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem reuocauit. Qua quidem celebratione virtutum commotus Ferdinandus Imperator Leopoldo, & Mariæ-Annæ filijs in Præceptorem, & Virtutum Magistrū elegit, vt ab eo Christianæ pietatis documentis imbuantur. Verùm sistat hic parumper oratio mea, & quæ præcipitanter protulit, accurata consideratione, & obseruatione relegat, ac reuoluat. Ergo Ferdinandus Imperator, hoc est Prudentissimus, & Sapientissimus sui Sæculi Heros, qui cum Christo Cruci affixo sæpius locutus creditur ab eo accepto responso, Leopoldum, & Mariam Annam Austriacos Principes carissima suorum viscerum pignora, Alterum ad Imperij Solium, Alteram ad Hispaniæ Sceptra destinatam Ioanni Euerardo dat in filios, in auditores, in alumnos disciplinarum, vt ab eo ad exemplar, & imaginem pulcherrimarum virtutum omnibus numeris absoluantur, & informentur; vt Ioannes vt Parēs, vt Præceptor, vt Censor intimos sensus regat, ac moderetur, vt Cœlestis Sapientiæ præceptis instruat, atque instituat, vt nobilissimas candidissimorum animorum ceras Cœlestibus caracterum Imaginibus, numquam delendis, nunquam obliterādis formet & effingat? O Gloriam Immortalem, solidā, præclarissimam; qua, nec cogitatione apprehēdi, nec animo desiderari, nec votis expeti potest quid quam Illustrius, aut splendidius? Cum enim in huiusmodi electionibus optimus, & probatissimus inter omnes eligatur, nobilitate

clarus, ſcientijs inſignis, virtutibus vndequaque ſpectandus, Cuius Conſilio, & Autoritate ad animos adoleſcentium Chriſtiana pietas penetret, & deſcendat, optimum, & probatiſsimum, ac ſupra cæteros Inſignem Ioannem Euerardum approbare, & orbi teſtatum relinquere voluiſſe Sanctiſsimum Imperatorem dicendũ eſt. Non enim in cauſa fuit, inſignium virorum inopia, cum in latiſſima Imperij ditione, & celeberrimis Viennæ Academijs plurimi eſſent; non è Societate Ieſu hominum inops numerus, cum ordinis flos, & ornamenta ibi morarentur; non leue munus de quo agebatur, & pauci momenti, cum ageretur de educatione Principum, quorum bona inſtitutio plurimum Orbi Chriſtiano prodeſſe poterat; Non demum aliæ cauſæ, quæ nullæ erant; & ſic dubitandum non eſt eximia, ſingularia, prope Diuina, & Animi, & Corporis ornamenta Ioannis Euerardi in cauſa fuiſſe, vt Imperator totius Europę, confeſsione Maximus tanti eum muneris atteſtatione, cohoneſtauerit; Cuiuſquidem atteſtationis tanta eſt vis, tantaque lux, vt qui eam non agnoſcat cæcus ſit, quiſquis agnoſcit, & non prædicat, inuidus ſit, qui prædicanti non aſſentitur, & plaudit Sceleſtiſsimus ſit. Nec minora ſane fuerunt beneuolentiæ, & exiſtimationis argumenta, quibus Philippus Quartus ſtatim ac in Hiſpanijs vidit, & cum eo familiariter egit, Ioannem eſt proſequutus. Nam vbi confuſus, incertuſque animi conſcientia eſſet in negotijs maximi momenti ad Ioannem omnes aculeos, & ſcrupulos aperiẽs recurrebat, inque eius Conſilio, aut Sermone requieſcebat; & cum ad propagandum vbique terrarum cultum Sanctiſsimę Virginis ſine peccati contagione Conceptæ Pijſsimus Rex doctiſsimorum virorum Concilium conſtituiſſet, Ioannem inter hos annumerauit; Cuius opera potiſsimum effectum eſt vt Innocentius Pontifex Optimus Maximus toto plaudente Orbe Chriſtiano ſalutaria illa, & felicia decreta, & diplomata promulgauerit; Et mox peculiarem librum Ioannes de eodem argumento Typis Matriti edidit, qui in materia adeò ſummorum virorum litteris, ac diſputationibus agitata & illuſtrata tantum à litteratiſsimis viris plauſum meruit, vt non nemo affirmauerit credi potuiſſe ab ipſamet Virgine Sapientiam fuiſſe tranfuſam. Quæ cum ita ſint, & quis dubitabit Pietatem Ioannis vſque ad Cœlum extollere, quæ tot virtutum documentis, tanti Imperatoris teſtimonio ſolidiſsime comprobata eſt. Venio nunc ad alteram partem orationis meę, hoc eſt Scientiam ciuilis doctrinæ, quæ radiantis inſtar ſolis in Summo Conſiliario effulgeat, neceſſe eſt. Nam Principi perſua-

de-

dere quò d oporteat difficile, & medios inter præacutosque rerum gerendarum Scopulos, fluctusque, Reipublicæ nauim ad portum fælicitatis appellere opus multi laboris. Vnde de angustijs, incertoque exitu populos, ac Respublicas moderãtium illud Regij vatis carmen doctissimi viri interpretantur: Gigantes gemuerunt sub aquis: nam, & aquæ multæ, populi multi, & alibi fremuerunt aquæ, & inclinata sunt Regna. Proinde ad eam consequendam omne studium, ac conatum, omnem diligentiam, ac vires esse adhibẽdas, qui de politicis intelligunt, constantissimè affirmant. Hæc enim scientia ex præteritis dirigit præsentia, & ex his rerum futurarum præuidet euentus, oculisque Argo vigilantioribus, etiam in abditos recessus, ac penetralia suæ prouidentiæ aciem extendit; Ita vt, nec falsæ rerum imagines deludant, nec doli, fraudesque ementito decipiant vultu, nec obsita tenebris obnubilent; nec difficultatibus plæna deterreant; nec aduersæ res frangat; nec secundæ deflectant, & eneruent: sed perspicacissimo intuitu inuoluta explicat, & enodat; sepulta detegit, obscura illuminat, dolosa examinat, & inter obstantia victrix albis circumvecta quadrigis, Palmarum redimita nobilium coronis, subacta, Domitaque Fortuna, rerumque vicissitudinibus percalcatis liuore, & Inuidia, fugatis, deuictisque hostibus, inter obsecundantis Cœli, orbisque plaudentis acclamationes, & vota immortales circumducit triumphos. Ipsius, verò, Parentes duas esse affirmat communis omnium litteratorum consensus; Naturam, scilicèt, efformatricem, Vsumque, siue experientiam, quæ ex multiplici scientiarũ ornatu, ex notitijs regionum, populorumque, ex historiarum assidua lectione percipitur. Quæ omnia simul iuncta in ægregijs viris, licet quam rarissimè conspiciantur; In Te, tamen, Excellentissime Ioannes, veluti ad summum Regium Consiliarium efformandum manus dedisse, & coniunxisse videntur. A Natura, enim, veluti à Liberalissima Parente datum est Tibi ingenium; excelsum, Viuidum, ingentium negotiorum capax; rebus agendis par; neque supra; Operosum, promptum; Horarum omnium, & tanta solertia, & præuidentia præditum, quantam, nec in suo Solone obstupuit Grecia, nec in Licurgo suspexerunt Athenæ, nec in quouis alio Regum, vel Cæsarum prudentissimo Romana magnitudo admirata est. Huic accedit Forma, & habitudo corporis composita ad dignitatem, Maiestas oris ad grauitatem collecta, ad venustatem exposita, vestes decoræ, & religiosam modestiam spirantes, grauis incessus, blanda allocutio, mira, & suauis vrbani-

tas; talis demum, totius corporis forma, & figura, qualem Heroë, ſapientemque virum decere diceres; qui ſui reuerentiam, & lætitiam aſpicientibus inſpirando Maieſtatem humanitate conſociet; humanitatem Maieſtate condecoret. Quod, quidem, plurimum ad benè gubernandam Rempublicam, & ad amorem, ac beneuolentiam conciliandam prodeſſe, docuit Plato! Quibus, quidem, ornamentis, ſi ſcientiarum accedit ſocietas incredibile dictu eſt; quam ſuauiſsimus formetur concentus. Proindè latinorum Poetarum decus, elegantiſsimè cecinit.

Gratior, & pulcro veniens in corpore virtus.

Tanta, verò, venuſtati tui corporis concinit ſcientiarum armonia, vt, vel maiorem in homine deſiderare pudoris, & arrogantiæ ſit. Vix, dum, enim à pueritia exceſſerſas, vix primas artes didiceras, cum te qualis futurus eſſes, ſumma Sapientia oſtendiſti. In tuo, enim ſermone enitebat natiua, & flexanima eloquentia, in comprehendendo capacitas, in diſcurſu acumen, & perſpicacia, in recitando copia, Acticum mel, veneres, Lepores, in omni re, ſiue noua, ſiue veteri, ex temporanea, inexcogitata ſuprà ętatem, ſuprà naturæ ordinem prodigioſa, atque admirabilis ingenij vis, & magnitudo apparebat: nam vbi ad Philoſophiam acceſsiſti, vix eam à primo limine ſalutaueras, & iam eras cãdidatus, laureatus, pretextatus; ita vt in litterarijs certaminibus nobiles, victriceſque palmæ doctiſsimarum præmia frontium publicè inter omniũ plauſus te coronauerint. Mox ingreſſus in Theologiæ ſacrarium in quam grande, & nomen, & numen euaſiſti, cùm per totam illam ſapientiam ad miraculum peruagareris. Iam Poetarum delitias, Oratorum ſententias, Mathematicorum lineas, & puluerem, moralium diſquiſitiones, Aſtrologorum effata, Hiſtoricorum narrationes, & fidem, Polirices arcana, documenta, artes, flagitia, & cũ his populorum ingenia, Imperiorum ortus, augmenta, decrementa, periodos, curſus, decurſus, totam demum, ſcientiarum ſupellectilem tam breui temporis ſpatio, tanta fœlicitate, & vno quaſi hauſtu deuoraſti; vt potius reminiſci ad Philoſofi ſententiam, quã addiſcere videreris; Et quod magis admirationi erat, tuæ ſapientiæ ærarium ſemper promptum, ſemper in numerato habebas. Nã quacumque re propoſita adeò de ea loquebaris; vt illi tantum omne ſtudium impendiſſe videreris. Vnde veritati proximum in te videbatur, quod de ſuo Protheo fabuloſa credidit antiquitas,

ſe

se se formas in omnes quas vellet, fælicissimè induente. Et quod vnquam fuit Deus immortalis, viridarium, tam amænum, tam nobile, tam varium, ornatum violis, stellatum lygustris, gemmatum lilijs, odoratis rosarum floribus illustratum, in quo riderent virgines Calthæ, florerent immortalia Amarantha, purpurascerent flebiles hyacinthi, & tota veris pompa, fastusque colorum se se elegantissimè explicaret? Quę vnquam nox fuit, tot sideribus illustris, coronata, picturata, tessellata, vermiculata, in qua seren is, tacitisque itineribus, & Lucifer nitidos vultus produceret, & armatus Orion auro circumflueret; & Pleyades, Hyadesque accensis facibus se se circumagerent; & siderum regina fugatis vndequaque tenebris plænissimo lumine Cœlum irradiaret? Quis vnquam nobilis Pauo tanta alarum, caudæque varietate, elegantia, pulchritudine gloriatus est; siue plumis expansis, & quasi in theatro expositis ad spectantium plausus, & admirationem concilian dam; siue ad terrorem, & defensam elatis, siue ad neglectum fastuosè demissis, siue ad triumphum, & coronam circinnatis, & circumductis, oculatus auratus, purpuratus, viridigatus, cum toto vere, & Flora, cum artis ingenio, & gloria, cum Iridis coloribus, cum ipso cœlo de formæ Principatu, ac Maiestate contendens; Quanta in Te apparet, & elucet scientiarum varietas, profunditas, elegantia ornatus, & vno verbo diuinitas: ita vt de te in Academia Gazensi docente dictum fuerit, quod de diuo Hieronymo dictum legimus, neminem sciuisse, quod tu nescires; & hodie in Hispanijs tanta est tuę sapientiæ opinio, vt quicumque liber typis mandetur tuo nomini, tanquam scientiarum Apollini in scribatur. Illud, verò, quam insigne, quam admiratione dignissimum? Quod perfectam nobilissimarum linguarum notitiam calles, Grecæ, Latinæ, Hispanicę, Gallicæ, Italicæ, Germanicæ, ipsiusque, etiam, Hebraicæ; in quibus loqueris, & scribis, & dictas tanta fælicitate, quasi in omnibus natus fuisses. Quòd quidem tanti in summis viris fuisse ornamenti historiæ memorant, vt vel ex hoc summam celebritatem, & decus fuerint consequuti; Verum enim verò, quod in politicis, & in rerum publicarum momentis gubernãdis tam ægregiè verseris, plurimum tuo ingenio, plurimum verò optimi, & prudentissimi Patris disciplinæ, & institutioni tribuẽdum est. Cum enim ille, vir magnus, & ad benè moderandas Respublicas natus pluribus à Ferdinando Imperatore iniunctis muneribus ijsque fæliciter expeditis foris, & intus, pacis, bellique temporibus constantem gratiam ad extremum, vsque Spiritum,

&

& ciuilis ſcientiæ plęniſsimam laudem omnium teſtimonio conſecutus ſit; nihil potiſsimum in votis habuit, quàm te huius gloriæ non minus, quam ſanguinis hæredem relinquere. Proinde operam dedit, vt parem tuis natalibus educationem haberes, & hijs artibus inſtruereris, quibus ad omne decus, quod Aulico eſſet ornamenti informareris; proinde eos tibi præceptores dedit, qui in te ea ſemina ſpargerent, quæ poſtea vberes huius doctrinæ fructus redderent. Quod quidem tu adeo fæliciter præſtitiſti, vt, ex tunc te omnes ad ſumma natum cognoſcerent, & patris, auorumque tuorum gloriam æquaturum. Vnde per eam ætatem non modò tibi cordi erat liberalibus artibus, & ſtudijs excellere, ſed excelſa moliri, de maximis rebus vota concipere, altiſsima cupere, & per aliquod ægregium facinus immortalitatem nominis quærere. Somni modicus, cibi parcus, habitu ſimplex, tenerum corpus animi firmitate, pacis otium, militiæ diſciplina, quaſi velitatione informabas, & obdurabas. Nec leuis ad hoc etiam momenti fuit verſari in Aula Ferdinandi Imperatoris vel hoſtium confeſsione omnium retro actorum ſæculorum pręclariſsimi Principis, & cum ſummo quolibet comparandi, qui ſuarum virtutum ſplendore te ad ſui imitationem rapuit; & cum ſummoperè tua indole delectaretur ad veræ gloriæ laudem te ardentibus ſtimulis incendebat; Ille in te heroicum ſuum ingenium trāsfudit, ille in te cæleſtis ſui animi lineamenta ſignauit, ille ſuarum virtutum effigiem abſolutiſsimè in te inſculpſit, atque efformauit. Acceſsit etiam illuſtrium virorum, ac Principum aſsidua familiaritas, qui in illa aula, velut in immortalitatis theatro, qua ſanguine, qua litteris, qua armorum celebritate præſtantiſsimi, & Regibus æquiparandi ad gloriam graſſabantur: quorum incitatus exemplis nobilem virtutum flammam concepiſti, & arripuiſti. Neſcio enim quid præclarum præſefert illa Imperatoriæ aulæ dignitas, ciuilis vrbanitas, obſeruantia, apparatus, ſplendor, elegantia, maieſtas, Romanam adhuc ſpirans magnitudinem, quã Sol nec vidit, nec videbit vnquam, nec fælicius, nec illuſtrius, nec præſtantius; quæ licet in magna ſui parte euanuerit, tamen ex intermortuo Cæſarum fulgore ex cineribus adhuc inclareſcente, & intermicante, ex illo magni ſui nominis ſonitu nondum per ſæcula euaneſcentis, neſcio quid auguſtum, & immortale ſpirat, & reſonat, quod teneros adoleſcentium animos, & dormientes excitat, & incitat vigilantes ad gloriam. Nec paruam quoque huius laudis partem ſibi vendicat beata Germaniæ regio diues omnibus naturæ dotibus, ditior ar-

tium

tium accessionibus, ditissima virorum ingenijs, quam tot præclarissimi Principes, tot inuicti Proceres, tot nobilissimi equites, ipse Rex Regum Imperator, vt parentem colunt; Quæ auri, argentique venis potens, populorum multitudine, ac robore inuicta, cæli salubritate iucunda, soli vbertate felix, bellica gloria clarissima, Oriente, atque Occidente suis trophæis, ac victorijs perlustrato, eos procreat adolescentes; quibus teste Tacito ingrata quies, otium, torpor, & inter ancipitia clarescentes pigrum; & iners existimant sudore acquirere, quod possint sanguine parare. Tot igitur naturæ dotibus, & scientiarum ornamentis, admirandisque institutis condecoratus, quarum quælibet summũ hominẽ constituere potuisset, quid mirum si intantum virum, & politicæ, scientiæ instructissimum euasisti, vt non Germaniæ solum: sed omnium, qui te agnouerint, Prædicationem merueris. Vbi verò ad Hispanias accessisti, & Philippus Quartus summis te beneuolentię significationibus excepit; omnesque magnates eadem admiratione perculsi obstupuerunt. In quam quidem ciuilis doctrinæ tuam sapientiam penitus introspicienti nihil mirum mihi videtur, si nunc repente iam summus, & ad Hispanæ Reipublicæ gubernacula assidens, cum nulla occurrat magni momenti res, quæ tuo consilio non regatur, tuum nutum non expectet, tua prudentia non dirigatur, nihilominus tanto oneri nõ modo parem, sed maiorem te ostendas, molemque vastissimi Hispanici Imperij tuis humeris insidẽtem, inturbatus, interritus, hilaris sustineas, ac proue has. Admiratione enim, & prædicatione dignissimum est, quod de quibuscumque rebus tecum agitur edoctum, scientissimum, instructissimum te ostendas, & quod alij multa attentione, ac longa consultatione vix concipiunt, & consequuntur, tu momento quò audis, percipis, discutis, examinas, respondes. Responsa verò, tua non dubia, non fucata, non perplexa, non subdola apparent: sed prudentiæ, candoris, beneuolentiæ fidei plena, in quibus nec decipis, nec deciperis; Imò, & in his dignoscitur grauitas non elata; veritas in affectata, firma adseueratio, admirabilis cõstantia, Pietas, Fides in ipso gestu, ac voce translucens; Nec sane à tuo instituto tanta negotiorum moles, tam multiplex, tam varia, tam antẽps quidquã vel leue detraxit, aut addidit. Proinde idem ille es, ac antea, idem habitus, ijdem mores, eosdem nos reputas, eundem te nobis præbes agnoscendum. Antea excipiebas omnes hilari vultu, nunc excipis, spirabas religiosam modestiam, humanitatem, pietatem, nunc spiras; ardebas studio publici boni; nunc

 ar-

ardes,& ex magna fortunę indulgentia, præter miseris prodesse, Regis,& Reipublicæ salutem vsurpas nihil. Alij putēt id in magna fortuna æquius,quod validius;credant se maiores, quo à minoribus abstineant; existiment fælicitatem suam fędari aliorum infęlicitatis imagine; & more leonum intra obscuros domesticarum ædium parietes,ac recondita cubilia, non exhibeant sui aspectum absque trepidatione,& horrore aspicientium; Tuum, verò,intimum penetrale, Religio, Iustitia, sinceritas, conciliatrix animorum charitas, virtutes omnes insident; atque inhabitant. Tuarum ædium omnibus patent fores,omnes excipis, omnes audis,& quantum in te est,neminem sine aliqua solatij parte,uel spē à tuo aspectu dimittis; finemque sermoni eorum pudor, ac satietas,non tuum fastidium facit. Colis amicos,quos antea colebas, & in summo dignitatum fastigio collocatus ad eadem descendis familiaritatis officia,quibus antea delectabaris: & cum nihil tibi vendices nullam maiorem reputas fælicitatem,quā amicos tuos, omnesque bonos fecisse fælices. O nouum,& incognitum in aulis sę gerendi modum? O nobiles artes Christianæ Politices? O Præclarę Sapientiæ inclytam palestram, inqua docente Ioanne omnes Principes orbis,omnes populorum moderatores possent solidis institutis ad veram Gloriam consequendam, instrui, atque erudiri. Sed iam meis oculis irradiat gentilitiæ nobilitatis splendor,quod erat in partitione tertium,ita vt in ipsum obtutum intendens nimia maiestate effusi luminis torpeat,& languidior euadat acies oculorum. Ex Nidhardæ enim familiæ clarissimo fonte Ioannis,sanguis profluit & dimanat,ex quà InclytiHeroes,& præclarissimæ Heroinæ pro creatæ Germaniam gloria, orbem verò terrarum admiratione repleuerunt. Et sanè qui instruxerunt, duxeruntque exercitus,pares se præbuerunt Alexandris, qui in litterarum exercitationibus operam præstiterunt, euaserunt Sapiētiæ oracula, qui ad Ecclesiasticas Dignitates animum intenderūt; statim ad summos honores fuerunt euecti, & qui ad Principum obsequia,& ad Rerum publicarum habenas moderandas diligentiā & operam impenderunt tantam opinionem de magnitudine animi,de ingenij solertia, de amplitudine sapientiæ consequuti sunt,vt eorum famæ celebrationem grata posteritas semper ab interitu vindicabit. Quorum quidem si peculiari præconio vellem merita recensere,ante me deficerent vires, quam laudum materia: nam vt maiores prætercam, qui longè ab oculis, licet non ab hominum recordatione recesserunt,& sub inuictissimis Impera-

to-

toribus Maximiliano I. Carolo V. Ferdinando II. & III. ob ægregia in Rempublicam merita honestissimis titulis, & honorũ gradibus cohonestati sunt. Et in Germanicis, Italicisque, expeditionibus victorijs clari veterum Ducum memoriam, & gloriam renouarunt, nostris temporibus, è tribus tui sanguinis germanis immensus perfectæ, cumulatæque virtutis splendor enituit. Nihil enim in illis, non eximium, non præclarum, non admiratione dignissimum apparuit. Vnde, cum Melchior Nidhardus se Sacerdotij Dignitate cohonestasset, perfectus homo, planeque Sanctus fuit habitus, cumulatusque sacris honoribus eandem de se opinionem conceptam, vsque ad extremum vitæ diem constanti, absolutaque virtutum expressione seruauit. Vgubertus verò ob ægregias dotes Imperatori charissimus in Haistat eiusdem Cæsareæ Maiestatis venatoris maioris munere, quod inter germanos equites præclarissimum est, fuit exornatus. Theophilus autem Leopoldus eiusdem Maiestatis Camerarius, & Præses in Harzenharz Prouincia Styriæ, prudentia, doctrina, vigilantia, alijsque ornamentis, non modo Nidhardam familiam, sed Germaniam, & Europam illustrat. Pater verò Ioannis ille sapientissimus ac fortissimus Heros in Austriæ Prouincia Imperatoris vices sustinuit, & ad reprimendos Hæreticorum impetus, cum exercitu missus, prudẽtia, magnanimitate, cæterisque insignibus virtutibus, conceptam de se expectationem supra expectationem impleuit. Sed quid in media luce, quid ardente Sole cæcutio? Quid vestigia quæro dum veritatem ipsam teneo? Quod enim maius præclarissimæ nobilitatis argumentum adduci potest, quam quod Sapientissimus Imperator Ferdinandus III. in Comitijs Ratisbonæ, habitis anno Orbis Christiani millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto mẽsis Aprilis, Nidhardam Familiam inter Germaniæ illustriores & nobiliores, & voce, & scripto diplomate laudauit! Cuius argumẽti tanta vis est, vt ex eo Nidharda nobilitas possit cum quacumque alia totius orbis, de splendore, de amplitudine contendere. Nam tanta est Germanæ nobilitatis Dignitas, vt idem sit familiam aliqvam germana nobilitate fulgere, ac esse pæne Regiam. In Germania enim longè meliori prærogatiua ac in reliquis orbis partibus nobilitas totum suum lumen effundere dignoscitur; & in Reni ripis depositis alis, ac cothurnis quod de Romanorum fortuna ad Tyberim dictum est, firmam, stabilemque Regiam collocasse. Vnde cunctarum nationum nobilitas ex hoc fonte splendorem suum haurire gloriatur; proinde Pius II. Pontifex Optimus Maximus

mus in toto orbe nullibi illustriores familias, quàm in Germania reperiri, scripto affirmauit: qua enim natalium antiquitate, qua purissimo sanguinis ductu, nulla indecentis connubij labe fœdati, qua feudorum amplitudine, & summo, absolutoque Imperio, qua gloria rerum præclarè gestarum, tanta luce quælibet familia coruscat, vt nulla ex his sit, quæ non ab Imperatoribus, vel Regibus ortum, & originem trahat. Proinde Carolus V. facete, sed verè gloriabatur, alios orbis terræ Reges mancipijs, se verò Regibus Imperare; quod à Maximiliano Primo Imperatore eleganter mutuauerat, qui Regem Hispaniarum hominibus, Regem Galliæ asinis, Regem Britaniæ dæmonibus, se verò Regibus Imperare, & proinde Regem Regum appellari lepidissimè iactabat. Verum de hoc argumento me plura dicere parantem, non mediocriter deterret offensio tuæ modestiæ Excellentissime Ioannes, quæ vere Germana hoc proprium habet, vt agat semper laudanda, à laudibus verò abhorreat, & magis factorum bonam cõscientiam, quam inanem sonitum, plausus dulciter ad aures blandientis in pretio habeat; quod licet ad seuerioris sapientiæ trutinam reuocatum verum sit; verissimum tamen est Aristotelis Peripateticorum Principis effatum, nobilitatem inter necessarias moderatori Rerum publicarum virtutes annumerantis, volentis obscuris ortum natalibus idoneum non esse ad publicam administrationem. Itaque plurimum in sacris litteris eam commendatam legimus, & apud Æthnicos Deo tributam, à cæco illo oculatissimorum Poetarum Principe Homero didicimus. Nescio enim, quem præcipuum splendorem virtutibus addit illa sanguinis claritas; nescio quam reuerentiam conciliat illa maiorum dignitas; nescio quod nobile & magnificum inspirat genus, per proauorũ titulos & stemmata clarissime deductum. Quod quidem è fabulis etiam, & commentis summos viros quæsijsse, & ab ipsa Deorum, Dearumque origine, in historijs legimus. Hinc Theseus ille Athenarum instaurator, Neptuno Patre, gloriabatur: Hinc Alexander Macedo Princeps natus ad gloriam, & ad orbis Imperiũ, splendido mendacio se se ex Ioue Ammone procreatum affirmabat: Hinc Scipio nondum Africanus nocturnus in Capitolio cum Ioue colloqui, & ad aures nimium surdas momenta belli insusurrare prudenti astu fingebat: Hinc Heroes omnes, quot quot coluit antiquitas, se se cælesti è semine genitos credulis multitudinis animis, & auribus insinuabant; & hoc eo consilio factum, vt illa diuine originis opinio, nescio quem supra mortalitatem reuerentiam

 ren-

rentiæ cultum,& auctoritatem conciliaret. Verum hæc ab illis prædicentur,qui nihil in se habent quod prædicetur,laudent suorum clarissima nomina,qui quo ad ipsos in obscuro sunt,& ægregiam à mortuis famam sibi vendicent,qui nullam à viuis laudẽ; nullam à posteris,memoriæ commendationem expectant. Tu verò,ita tuo splendore nites,vt non egeas alieno ; ita satis tibi es ad gloriam,vt eam non expectes à fumosa imaginum vetustate,à stematum claritudine,à titulorum sonitu,ac fragore; Sed à Iustitia, à Prudentia,à Fortitudine,à Constantia,ab omnium tuarum actionum inter se concordantium harmonia,& magnitudine. Æternus ergo te annalium honos,te illustrium virorum monumẽta , te memoriæ nunquam intermorituræ prædicabit commendatio, tuumque nomen tàm descendet gloriosum ad posteros , quam dignum se præbet præsentium admiratione Et ò si intra cæcas futuri latebras,seriemque fatorum liceret oculos intromittere ; quanta gloria,ac prædicatione efferendos , ad tui nominis memoriam & recordationem posteros tuos viderem ; cognatos Affines , propinquos natorum natos,quanto lætitiæ sensu , gloriosæque superbiæ merito fastu lætabuntur! Quanta admiratione,tua gesta,tuos annos,tui gloriam in hos sensus prædicabunt? Ergo Ioannes Euerardus Nidhardus,inter maiores nostros fuit , qui maiorum veterem gloriam ægregijs factis superauit , & obscurauit. Qui in Germania à Ferdinando Imperatore filijs,vt Parens datus est.Qui in Hispanijs tantis virtutibus claruit ; vt illi summa rerum tradita sit, Reginæ fuerit à confessionibus: Supremus Fidei Quæsitor: in arcanis Status Consilijs Minister. Et demum inter purpuratorum Patrum Senatum ad numeratus.O verè Heroem,Inclytum,admirabilem prope Diuinum! O nos fælices,ò nos beatos,ò nos illustres, qui in tantam gloriæ hæreditatem vocati fuimus! Et vtinam sicut claritudinem sanguinis descripsi ; ita nobilitatem animi possem veris de pingere coloribus!O quantus fulgor & lux,ac vibrãtium radiorum iubar,atque agmen meæ orationi eloquentiæ luminibus inopi,atque obscuræ effulgeret; Hæc enim lux non à splẽdidis auorum nominibus, neque ex ambitiosis parentum titulis, sed à Deo Optimo Maximo afflata,impressa,circunfusa tanto præclarior & illustrior irradiat ; quanto ægregius animus corpore præstantior consurgit. Et quid certè nobilius tuo animo excogitari potest,qui magnus excelsus liber,vndequaque perspicuus & rectus,magnitudine,tranquillitate,fortitudine, cæterisque virtutibus quasi supra mortalitatis confinia consurgens , nec ablatum

sibi quidquam sentit,nec adiectum. Idem semper quocumque res cadant,aduersæ,vel prosperæ sint. Proinde honores spernit vt mutabiles,ac inanes;diuitias vt perituras; fortunæ bona omnia vt fallacia,dolosa,viscata beneficia,atque insidias,quorum nec si aggeratur cumulus supereminet,aut extollitur,nec si impetu inopinato excutiantur,ac dilabantur minor euadit. Proinde accessit Ioannes ad aulam eadem facilitate exiturus, qua fælicitate intrauit,admisit honores,sed ea lege,vt quando id expediret æquo pacatoque animo abirent,excepit fortunæ bona, sed ea conditione, vt quando vellet deposita repeteret;& demum acceptauit dignitates,sed vt amplissimam præberent virtuti materiam,ex ijs prę-ter immensam laborum molem & pondus, nihil sibi reliquum faciens. Sicut enim nobilissimus montium Olympus, ita supra nubes assurgit,vt eius vertex nec niuibus canescat.nec pluuijs fædetur,nec ventorum flatibus discerpatur,nec syluis, nemoribusque horreat,atque occupetur;sed perpetua serenitate coronatus, arduus,excelsus,æthereus longe à se,& quasi sub pedibus fulminũ ictus,& tonitrua,sonantium procellarum turbines,etrabiem,syluarum clamores,& sibila,fontium, fluminumque sonos, & murmura,totiusque sæuientis tempestatis,iactationes,& vim substrepentes audiat,derideat,paruipendat;ita eius mens, eiusque animus inexpugnabili Christianæ & heroicæ fortitudinis muro circũdatus, in insuperabili loco stat,ad quem nec fortuna transitum habet,nec hostium machinę pertingunt, nec inuidię tela perueniunt,nec perturbationum agmina per rumpunt, nec res humanæ omnes circũfusę concitant, attollunt,frangunt,deflectunt, à suo dimouent loco,vel exturbant,vt de eo dici cum Poeta posit.

Et si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

O ueram nobilitatem,solidam,immortalem, purissimis syderum radijs nitidiorem, atque illustriorem; quæ purpuratam sanguinis claritudinem,candidiori animi virtutum luce cumulat;atque exornat. Vos verò, qui tantum splendorem ferre non potestis,qui velut animalia nocturna meritorum lucem odio habetis, qui virtvti bellum indicitis,eia,odia exercete,maledicẽtium linguarum tela vibrate,vires omnes vestræ arrogantiæ, veluti fluctus ad scopulos consumite; mihi credite vestro damno sentietis,quam impenetrabile sit nobile pectus, quam sit secura

pul-

pulcherrimis factis, nixa conſcientia, quam fœliciter triumphet pro ea pugnante Deo, de dolis, inſidijs, calliditate per ſe tuta veritas, & innocentia. Ferendo vos vincet, & nihil magis moleſtum habebit, quam vos ſub ruinis opreſſos, & ingemiſcẽtes audire, & inſpicere. Ioannis enim virtutum magnitudini vel quod ipſe fremẽs plaudat liuor, & inuidia neceſſe eſt, & quod mortales omnes manibus dent lilia plenis. Et ecce ad finem properat oratio mea, Excellentiſsime Ioannes, & poſt emenſum tuarum laudum Oceanum & ſi non eloquentiæ gloria, tamen ſine naufragij offenſione, vela contrahit, & ad felicitatis tuę Aram, Portumque nautico Celeumate ſibi plaudens vota perſoluit. Tua verò felicitas, non fortunæ ſplendor incertus, de hiſcens, fugitiuus, mulieris inſanæ, cæcutiẽtis, brutæ, vt Philoſophi putabant, dicendus eſt; ſed diuini Numinis fauor, Cæleſte auxilium, ſuauiſsimus ſupernæ auræ ſpiritus, qui vias tuas illuminat, greſſus dirigit, cunctaque à te diſpoſita, felicibus medijs, feliciori fine proſperat, ac ſecundat. Et quis non fateatur, Dei Optimi Maximi peculiari beneficentia fuiſſe, vt eadem via, qua omnia deſeruiſti, omnia tibi vltro occurrerent, & ea quæ magnanimo contemptu Chriſti veſtigijs inhærendo deſpexiſti, tibi deſeruirent ad gloriam; quam ex hoc ipſo vmbram virtutis à ſapientibus bene appellatam agnoſco, dum velint, nolint, fugientes, ac deſpicientes fida comes ſequatur, & occurrat: Propterea vidimus, quod ea, quæ in Hiſpanijs longo interuallo, & interiectu temporis dari alijs, ſummiſque: Viris, ſeris iã annis conſueuere, ad te iuncta ſimul vno quaſi impetu aduolarint; Ita vt nec Hiſpanijs remanſerit quod darent, nec tibi quod poſis accipere: alij per ſingulos gradus ad honores euehantur, tibi tota ſimul felicitas feſtinato curſu ſe ſe offerat, & nullus ſit tuis honoribus modus, qui in benemerendo ſupra modum te digniſsimum exhibuiſti: cum enim eſſes apud Reginam Conſcientiæ moderator, quod munus viuente, & magis defuncto Rege magnæ eſt auctoritatis, ſtatim inter arcanorum ſtatus conſiliorum Proceres adnumeraris, quod ſummum apud Principes eſſe nemo eſt, qui neſciat; eodemque: tempore ſupremus Hiſpanicæ Inquiſitionis Antiſtes, adiuncta adminiſtratione totius Monarchiæ adlectus es; Quod eſſe id maius, quod in Hiſpanijs poteſt in homine ſacris initiato, licet Regio ſanguine deſcendat, cumulari, atque expeti, certiſsimum eſt; Nam tanta eſt Supremæ Inquiſitionis dignitas, & magnitudo, vt eius inuentum, atque Inſtitutionem non ab humana Prudentia, ſed à Cœlo delapſam, atque Hiſpanijs donatam ad præcauenda

mala,

mala, quibus aliæ Christiani orbis Prouinciæ vexabantur, affirment rerum Hispanicarum Scriptores: Tanta æstimationis apud Catholicos Reges, vt solidam basim felicitatis Hispanici Imperij reputauerint, potiusque voluerint omnia sua Regna in discrimen adducere, quam vel latum vnguem ab eius dignitate detrahere: Tantæ verò amplitudinis, vt omnium diceda sit amplissima; Aliæ enim dignitates, certis terminis, ac limitibus continentur, aliæ angustioribus, aliæ amplioribus, huius verò dignitatis amplitudo tam longè, latèque patet, quantum Hispanus orbis diffunditur, ita vt verè de ea dici possit, quod *Extendit cum sole manus.* Nulla enim est in amplissimo Hispani Regis Imperio tam Barbara, tam longinqua, tam dissita Regio, quam æterna nox premat, quam Syluæ, & nemora ab hominum conspectu abducant, quam horridi montes, in accessęque rupes cingant, quam impertractabilis Oceanus alluat, & diuidat, & ab hominum societate impenetrabilem reddat, quæ ab huius dignitatis Imperio immunis sit: non ætas excipitur, non sexus, non gradus, non cōditio, infima, media, summa, ipsi etiam Reges huius Auctoritatis Maiestatem adorant; Ita vt post Pontificiam dignitatem nulla alia sit, quæ cum hac de amplitudine conferri possit. Et ò quam certissimè possem affirmare, eo ipso die quo tu hac amplissima dignitate cohonestatus fuisti, qui incidit in solemne Sacrum Anni redeuntis, quo Ducum Machabeorum, qui pro Sacrosancta Religione strenuissimè decertarunt, & fortissimè occubuerunt, immortalem memoriam veneratur Christiana Respublica; Pietatem, Fidem, Religionem in meliori ætheris parte inter triumphales Sanctissimorum Martyrum choros immortalibus sertis, ac proprio sanguine purpurantibus coronatos, nobilissimum celebrasse triumphum; & Diuinæ Iustitiæ gratias dedisse, quod supra Hæreticorum Capita, & hostium Catholicæ Fidei ceruices tibi solium euexisset in præmium laborum in expeditionibus Germanicis contra Hæreses exantlatorum; Et quoniam natura felicitatis est, communicari, & diffundi ad Reipublicæ corpus, cuius potior pars est Consiliarius, statim ac tibi Gubernacula Monarchiæ commissa sunt, ecce Classes ex India, quæ auro, argentoque graues totius Hispaniæ Fortunas secum vehunt, procellosa ventorum vi, ac rabie, Oceanique insanientis tempestatibus diu in itineribus detentæ, ac iactatæ; ex quo non leuem sui periculi metum nobis iniecerant, quasi tuum sensissent Imperium, statim fælicissimè soluerunt; & iam placato Oceano, positisque ventorum minis, ac flatibus se se ad nos quam citissimè

re-

receperunt: ex quo de te dicere cum Poeta liceret,

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther.

Quin etiam & te auspice renouata est cum Anglo Pax, confirmata cum Belgis, stabilita cum reliquis Hostibus, missæ tot in Flandriam suppetiæ, validissima militum robora per opportuna Hispaniæ loca distributa, & Gallicus ille armorum Torrens, qui aperto æstu meliorem Europæ partem haurire, atque abripere minabatur, coërcitis excursionibus, atque irruptionibus modica nostri iactura intra suas Ripas se reuocauit, & restagnauit. Accedit etiam ad cumulum tuæ felicitatis, quod Carolus Secundus, Christiani Orbis amor, & deliciæ, Austriaci Solis radius, quo Cœlum nihil terris dedit vnquam splendidius, aut præclarius, cum viuente Philippo Patre, quē suæ gloriæ iam maturum, nostris verò necessitatibus peracerbum Cœlum ad se euocauit, infirma, & imbecilli valetudine fuisset, nunc viuax, alacer Regiorum spirituum plenus, iam de se nobis concepta spes implet, iam nos suo formosissimo recreat aspectu, iam incredibili lætitiæ sensu vsque ad intima præcordia penetrantis afficit, cumulat, beat, siue nobis occurrat in vijs, siue se è Regalibus speculis præbeat videndum, siue alicuius Festi Maiestatem sua augeat præsentia, cum eo viso incolumitatem, ac salutem oculis ebibere videamur. Et ò quàm felici recordatione reuoluo candidissimum illum diem, totiusquè Erithæi maris Margaritis, lapillisque signandum, quando iam diu votis omnibus expectatissimum Regem Carolum Secundum cum Regina Matre nunquam antea visum, causa visitandi Sanctissimā Virginem de Antiochia, Hispaniarum, & Austriacæ Domus tutelare, & antiquissimum numen per vias albis quadrigis euntem vidimus, omnia mirantem, perquirentem, tenero, ac Maiestatis, plenissimo risu omnia excipientem, Quantis, bone Deus! perfusi sumus gaudijs, quæ lacrymæ etiam inuitis obortæ, quantas vsque ad Cœlum voces audiuimus, largissimos precantium annos, diuini numinis opem, felicitatē victorias, triumphos: ipsi domorum Parietes, ipsa Inanima salutare, ac bene precari videbantur: Flos Principum, Inclytus Regum sanguis, Cœli Germen, dulcis omniū spes, & præsidium crescas felix nostræ felicitati, fortunatissimus nostris fortunis, saluus nostræ saluti, incolumis Christiani, & Catholici Orbis incolumitati; iam enim tibi supplex Palmas tendit illa olim beata, & Christi sanguine respersa Regio; iam tuis tro-

phæis catenas ſuas vouet,& annuit oppreſſa Sion, diueſque Palmis Idumes,tuis victorijs noua ſe ſe triumphalium ſurculorum fæcunditate coronat: ęterno interim rore te ſuffundat, cuſtos Regum,ac Principum Deus,beneficos,atque inmortales influxus tibi impluat Aſtra beatiora:ipſe Syderum Princeps ſol tepuriori, ac benigniori luce perfundat,atque educet: & Cœlitum cœleſtes apes beato concentu diuinorum auxiliorum tibi ſemper admurmurent,circumſonent,circumſiſtant. Et vos ſanctiſsima cœli numina,quibus Hiſpana fælicitas cordi eſt,ſeruate nobis innocentiſſimum Regem,Fidei columen,Principum decus,Eccleſiæ Primogenitum,Catholicum,Chriſtianiſsimum; eius enim incolumitas tanti nobis eſt,vt omnium vita,ac ſanguine, fortuniſque emptam lætaremur.Sed iam redeo ad te, Excellentiſsime Ioannes, cuius humeris Hiſpana fælicitas innixa de fortunæ malignitate, de hoſtium inſidijs,de temporum calamitatibus triũphabit.Quid enim illi vnquam mali accidere poterit, ſi ad te ſacrum Anthiſtitem, veluti ad aſylum impendentium calamitatum confugit,vt nutantia firmares,collapſa reſtitueres,reſtituta componeres, & exornares ad immortalitatem æui perpetuò duraturi. Non enim caſu fuit,quod orbata Rege,oculos ad te conuerteret, te cooptaret in filium,vt omnium eſſes Pater,daret in Hiſpanijs Germaniam, vt Hiſpanias reſtitueres Hiſpanijs, & Supremum Fidei te eligeret Anthiſtitem,vt Cœli fidem ſuæ fælicitati obſtrictam tuis haberet in inſulis.Et ò quam ad rem mihi perſuaſum habeo,quod ſi ipſa poſſet hac te voce compellaret. Vide in quantum Dignitatum faſtigium,& tua virtus,& meus in te amor collocauit,omnium in te conuerſi ſunt oculi,omnium vota,omnium ſpes, qui tantum ex tuis Dignitatibus ſperant vtilitatis, quantum illis tuo ſanguine, tuis virtutibus addis ornamenti. Ego te amaui, quia amari meruiſti,& te adoptaui in filium, quia digniſsimum vt adoptareris inueni;euentuſque ipſe docebit,quòd nec te adoptionis meæ,nec me collati in te beneſitij pœnitebit. Filius es tu illius Societatis, cuius Pater Ignatius,& me,& geminum orbem illuſtrauit.Maiores tui,& præcipuè Pater tuus fortitudine,Religione, magnificis virtutibus inter ſummos Germaniæ viros floruerunt. Parens tibi Germania eſt,quæ bello,& pace clara,& mihi verè Germana,pari Auſtriaci ſanguinis,pignore,& Imperio,æternoque amoris vinculo deuincta ſua arma meis viribus, ſuam magnitudinem meæ gloriæ fælicisſime coniun xit. Vnde ego te ex gente Regum fidiſſima cuſtode,feſsis rebus meis auxil ium aſſumpſi, mei s Regibus ſola-

ſolamen,ac Miniſtrum,meæ nobilitati ducem, meis populis Parentem,meo Imperio decus,ac præſidium;Tui mores,tuum exẽplar dabũt, vt ſi in me Germaniã non inuenies,efficies;ego propẽſiſsimo animo in te ero,& velut Numen à cœlo delapſum obſeruabo. Quod ſi te ingruentis inuidiæ appetent tela, ſcias ſemper inuidiam ſummis viris allatraſſe, & quod donec erunt homines, ſimulque vitia,indiuiſibiles comites erunt odium, & virtus;tu vero inuidam gloria, gloriam virtute ſuperabis. Renoua igitur fauſto omine Carolo Regi,& mihi meos Ximeneos, tuos Adrianos,diſcatque orbis ex me,honorem Sacerdotij eſſe firmamentũ, & potentiæ,& fęlicitatis imperiorum.Hæc illa: Ego verò (cum quod abinitio orationis propoſui) quatuor tuas virtutes inter reliquas eminentes laudauerim, à Deo Optimo Maximo precor, obteſtorque,vt largos tibi annos vitæ largiatur; ſic enim & tuæ glorię,& publicæ vtilitati erit conſultum,tuo conſilio & foris,& intus res noſtrę florebunt: tu medeberis noſtris vulneribus, tu tẽporum calamitates in meliorem faciem conuertes, ita vt nos ad hæc tempora vixiſſe lætemur.Illud etiam rogo,atque obſecro,vt ſcias has laudes,non ab adulatione,non à tua fortuna,cum qua homines ſæpiſsimè loqui ſolent, non ab ſpe præmij, non ab officio amicitiæ,cum ſemel te de viſu, ac dealloquio agnouiſſem, locatas fuiſſe; Sed à ſimplici vi obſequij,ſed ab amore tuarum virtutum,ſed ab ipſo exundanti gaudio iam proprioris fælicitatis, elicitas,atque expreſſas.Quod ſi te non paribus coloribus mea deſcripſit oratio, ſcias in obſequij ſignificationibus omnem conatum laude dignum eſſe,cum dixiſſet cuncta quæ potuit, licet non ea elegantia qua debuit:nec ab homine Siculo rudique Iuriſconſulto,nimius orationis nitor,ac cultus exigi, aut expectari poterat, aut debuerat. Illud verò in magna parte exculpationis & ſolatij mei eſt,quod ex immenſo tuarum laudum cumulo, pauca delibari ab humanitate tua permittitur, æqua ad ſacietatem dici, ab ipſa magnitudine prohibetur:& quod me tacente ſcientiarum lycæa,oratorum linguæ litteratorum plauſus,totus denique cum Muſis & Apolline Pindus,& Helicon tuarum laudum præconia æternitati commendabunt.